



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

An coniux propria autoritate recedens ob alterius impotentiam sit statim
restituendus. §. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

Quinimo si desint consanguinei, & vicini suffiunt alij testes omni exceptione maiores: vt tradit ipse Sanch. num. 13. Gutier. cap. 120. num. 11. & 12. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 66. num. 7. Forma autem huius iuramenti: est iure communi spectato fieri debet tactis sacrosanctis Euangelis, vt constat ex d. cap. laudabilem, consuetudine tamen prescriptum est, vt super Cruce praestetur, resse Coaruar. in cap. quamuis pactum, de Patis in 6. §. 1. num. 2. ad finem. Sanch. lib. 7. disp. 108. num. 14. Gutier. de matr. cap. 120. num. 12.

Præter hoc iuramentum aliqui exigunt inspectionem impotentis, sed absque firmo fundamento. Cum in cap. laudabilem non exigatur hæc diligentia, cum vtique coniux fatetur impedimentum, vt notauit Sanch. lib. 7. disp. 108. num. 6. Gutier. cap. 120. num. 9. Basil. Ponce, d. cap. 66. num. 5. Iuramentum autem coniugum, & propinquorum ita necessarium est, vt eo deficiente sententia lata pro matrimonij dissolutione nulla sit, vt colligitur ex d. cap. laudabilem, & cap. fin. de frigidis, & maleficiis, & tradit Sanch. Gutier. & Basilius supra.

§. X.

A quo tempore triennium computandum sit, & quales debeant esse matronæ de virginitate deposituræ?

- 1. Non est computandum triennium à die contracti matrimonij nisi copula fuerit inuenta.
- 2. Proponuntur varia sententia à quo tempore computandum sit.
- 3. Verius censet spectato iuris rigore computandum esse à die quo coniuges simul habitauerunt in eodem lecto.
- 4. Computandum est hoc triennium, modo coniuges plecum pu- bera in fuerint adepti.
- 5. Hoc triennium continuum esse debet.
- 6. Matronarum testimonium de virginitate deponentium, fallacia subiectum est.
- 7. Sufficiens duo vel tres, et si aliqui septem requirunt.
- 8. Quales debeant esse matronæ de virginitate deposituræ.

Triennium ad inuestigandam impotentiam statutum in d. cap. laudabilem de frigidis, & maleficiis, computari non potest à die contracti matrimonij, nisi copula attentata fuerit, vt colligitur omnes Doctores ex cap. requisisti 33. q. 1. teste Sanch. lib. 7. disp. 110. num. 1. Gutier. cap. 121. num. 1.

Sed an eo die numerandum sit, an verò à decreto Iudicis, variant Doctores. Nam Hostiens. in sum. tit. de frigidis, & maleficiis, §. qualiter, & quando num. 12. & in cap. fin. eodem tit. num. 10. Et ibi Ioann. Andr. num. 11. Ancharran. num. 9. notab. 12. Anton. Cuchus lib. 1. in sum. maiorat. tit. 1. num. 267. Caualean. 2. p. decis. 18. num. 7. & alij censent in impedimento maleficij enumerandum esse die copulæ inuentæ. Alij verò e quorum numero est Henriques in cap. 1. num. 2. de frigidis, & maleficiis, Brunel. de spons. lib. 1. concl. 18. declarat. 4. numero 10. & 14. id concedunt in impedimento frigiditatis. At Glossa in sum. verbo quod autem 33. q. 1. Abbas in cap. fin. de frigidis, & maleficiis. Et ibi Innocent. Gregor. Lopez leg. 5. tit. 8. part. 4. verbo dar placo. Gutier. de matr. cap. 121. num. 3. Sanch. alijs relatis lib. 7. disp. 110. num. 4. & 5. in eam impedimento, sed præcipue in impedimento frigiditatis enumerari triennium debere à die, quo coniuges simul habitauerunt in eodem lecto, quia ab eo die vehementer præsumitur copulæ vacasse, vt notauit Gutier. d. cap. 121. num. 2.

Ego verò censet spectato iuris rigore hanc vltimam sententiam vtiorem esse, vt colligitur d. cap. laudabilem, vbi expressè habetur triennium enumerandum esse à die celebrati coniugij, quia ab eo die præsumuntur coniuges copulam inuentasse. Idem demonstratur in cap. fin. eodem tit. de frigidis, & maleficiis, vbi mulier allegans multis annis cum viro habitasse, nec potuisse pati congressum nullo expectato vteriori triennio separatur. Verùm spectatâ consuetudine, styloque Romanæ curiæ triennium computandum est à decreto Iudicis, quia ab eo die præmissâ peccatorum confessione, & Eucharistiæ sumptione diligentius copula procuratur. Sic sepe tenuit Rota teste Farinac. volum. 1. consilior. decis. 27. & 277. & volum. 2. consilior. decis. 192. & 226. Riccio in praxi decis. 129. num. 1. Basilio Ponce, lib. 7. cap. 66. Quod si ante Iudicis decretum triennalis habitatio præcessit, arbitrio Iudicis relinquatur iustus de causis abbreviare triennium, vt notauit Rota dicta decis. 226. Riccius, & Basil. loc. alleg.

Quod vero aliqui Doctores censent triennium enumerandum esse à die matrimonij contracti, siue à decreto Iudicis, tamen si coniuges non fuerint plenarie pubertatem adepti, minus verum est. Nam esto in d. cap. laudabilem. Et cap. fin. de frigidis, & maleficiis, nulla ætatis distinctione apposita omnibus de impotentia dubitantibus statuitur triennium. At rationi consonum est, ne ante plenam pubertatem, quæ

Errâ. de Castro. Sum. Mor. Part. 2.

in viris est 18. annus & in foeminis 14. dictum experientia tempus incipiat. Quippè dum eam ætatem coniuges non attingunt, præsumi iure potest impotentiam coeundi non ex frigiditate, aut maleficio, sed ex debili complexione, & conditione provenire, vt optimè docuit Cardin. in cap. puberes. n. unico de Sponsar. impuber. quem sequitur Sanch. lib. 7. disp. 110. n. 10. Gutier. de matr. cap. 121. num. 4.

Hoc triennium continuum esse debet, vt deciditur cap. fin. de frigidis, & maleficiis. ibi, intra prædictos octo annos continuum triennium in simul habitasse. Quod si interpolatum fuerit suppleendum est, vt docuit Ioann. Andreas in d. cap. fin. numero 9. Mascard. alios referens, de probat. concl. 889. numero 8. Sanch. lib. 7. disp. 111. num. 5. Gutier. de matr. cap. 121. num. 8. Aliquibus placet, scilicet Syluestro q. 20. num. 23. Henrig. lib. 12. de matr. cap. 7. numero 2. & cap. 8. num. 2. non esse censendum interpolari, si per maiorem anni partem in simul habitent. Argumento desumpto ex habitatione Scholasticorum in Vniuersitatibus, qui si maiori anni parte commorentur, toto anno censentur commorari. Alij minus probabiliter interpolari iudicant triennium, & suppleendum, si aliquibus diebus etsi paucis separantur. Rectius tamen Hostiens. Ioann. Andreas, Præposit. Panormit. & alij, quos referunt, & sequuntur Mascard. de probationib. concl. 889. num. 8. & 9. Sanch. dicta disp. 111. num. 3. Gutier. num. 7. & 8. Basil. Ponce lib. 7. cap. 66. in fine, sentiunt triennium hoc non perire continuationem ex eo, quod vno vel altero mense anni coniuges ob negotia occurrentia separati viuunt, quia continuatio triennij non debet esse mathematica, sed ciuilib, & moralis, & qualem coniuges frequenter habent, quæ ob breuem absentiam, tum peregrinationis, tum negotij domesticij gerendi causâ non censetur deperdi.

Quoad matronas attinet de virginitate foemina deposituras iuxta Textum in cap. Ne cuiquam. cap. quod si parentia 27. q. 1. & cap. fraternitatis. Et cap. littera de frigidis, & maleficiis, negare non possum earum testimonium fallacia subiectum esse, eo quod foemina corruptæ sæpe se virgines effingant, vt docuit August. lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 18. Ambrosii lib. 6. epist. ad Syngrium Veronensem Episcopum. Panormit. in d. cap. fraternitatis. Arnald. à Villanoua lib. 3. breuiarij. cap. 6. Et supponitur cap. penult. de probationib. Sed non obinde ea diligentia omittenda est, quia ex ea esto non cerò veritas eliciatur, elicitur tamen probabiliter. Ob quam probationem diligentia quæ aliàs minus decens est licita, & honesta redditur.

Has matronas alicui videri posset debere esse septem, quod in cap. propositi de probationib. dicitur iuramento puellæ, & testimonij illarum septem mulierum esse potius fidem adhibendam. Verùm ibi narratur factum, non autem deciditur id necessarium esse ad attestationem. Quare existimo duas, vel tres sufficere. Non enim recedere debemus absque expresso Textu à regula communi asserente in ore duorum, vel trium stare omne verbum. Cap. in omni negotio de testibus. Quinimo Mascard. de probationib. concl. 1174. num. 21. placet, si in oppido vna tantum matrona sit, & hæc satis perita eius testimonium sufficiens esse, quodque probabile reputat Sanch. lib. 7. disp. 113. num. 17.

Debent autem hæc matronæ esse honestæ, prouidæ, & prudentes, vt constat ex cap. fraternitatis. cap. fin. de frigidis, & maleficiis. testisque debent iuxta propriæ artis peritiam, hoc est quantum ex arte propria conciliare possunt virginem esse, aut non esse, impedimentum habere arctitudinis, vel non. Aliam autem certitudinem habere nequaquam possunt. Vt verò testimonium præbeant, debent non tantum inspicere virginem, sed manibus obtrectare, vt videtur supponi cap. penult. de probationib. ibi, sæpe manus fallitur. & oculus obstricium. Præter hæc diligentias alias poterit Iudex facere, si hæc sibi vix non fuerint sufficientes. Vnde potest Medicos vocare, vt eam ex eorum testimonio impedimentum arctitudinis constet. Neque enim in re tam graui, vt bene Sanch. disp. 113. num. 28. in fine, quælibet diligentia superflua censenda est: agitur namque de matrimonij dissolutione, de quæ licentia ad alium coniugium transeundi.

§. XI.

An coniux propriâ autoritate recedens ob alterius impotentiam sit statim restituendus?

- 1. Refertur triplex sententia.
- 2. Resoluitur coniugem recedentem statim esse restituendum, nisi incontinenti probationes impotentia certas, & euidentes offerat.
- 3. Quod efficacius procedit, cum coniux recedit, antequam triennium experientia à iure concessum elapsum sit.

Tres sententias probabiles refert in hoc puncto Sanch. lib. 7. disp. 112. Alij negant esse locum restitutioni, quia

spolium

spolium non est, ubi matrimonium non fuerit consummatum. Argum. cap. ex transmissa, de restitut. spoliat. ubi viro petenti restitutionem vxoris ei conceditur, dummodo probet matrimonium & copulam. Ergo cum coniux potius intendit copulæ impotentiam probare, nequit restitutionem petere. Alij verò affirmant restitutionem concedendam esse, si sponsa de presenti traducta sit in domum sponsi, secus si se virginem esse probauerit. Alij tandem concedunt restitutionem quoad habitationem, mutuæque obsequia, secus quoad copulam, quia copulæ possessionem non habet.

2 Ego verò dicendum existimo coniugem recedentem statim esse restituendum, nisi incontinenti coniux recedens probationes impotentia certas, & euidentes offerat: nam illis oblati non restituitur, sed matrimonij iurii declaratio faciendæ est. At seclusa probatione certâ, & euidenti impotentia restituendus est coniux recedens antequam de valore matrimonij audiatur, non solum ad mutuum cohabitationem, obsequiorumque exhibitionem, vt placuit Sanch. d. disp. 112. num. 8. sed etiam vt copulæ vacare possint, vt colligitur ex cap. ex parte, de restitut. spoliat. Ratione namque matrimonij coniuges adinuicem ius possident, nisi Religionem profiteri velint, vt mutua sibi obsequia præstent, mutuæque habent, mutuæque reddant sibi debitum petitum. Ergo coniux hoc iure alterum spolians ante omnia cogendus est coniugi spoliatæ restitutionem præstare.

3 Hæc efficacius procedunt, cum coniux recedit antequam triennium experientia à iure concessum elapsum sit, eo quòd hoc tempus à iure concedatur ad examinandam impotentiam. Quâ examinatione omisâ impotentia allegatio nullius est momenti, vt docuit Sanch. dicta disp. 112. num. 12. Quod si lapsò triennio coniux ob impotentiam alterius recedit, non est statim restituendus, sed admitti debent impotentia exceptiones, sicuti ex communi sententia tradit Sanch. supra.

§. XII.

Qualiter prius matrimonium ob impotentiam dissolutum restaurandum sit?

- 1 Si ob impotentiam ex frigidityte prouenientem separatur à priori coniuge, incapax est alterius coniugij.
 - 2 Matrimonio dissoluto ob foeminae arctitudinem, si illa aliud inecat, sub distinctione respondetur, an reddenda sit priori viro.
 - 3 Si dissolutio matrimonij ob impotentiam ex maleficio prouenientem facta fuerit iuxta requisita à iure, nulla restauratio faciendæ est.
 - 4 Si ob impotentiam in genere absque expressione causa specialis prius matrimonium dissoluatur, & vir impotens aliud inecat matrimonium statim separandus est.
 - 5 Illis in casibus, in quibus prius matrimonium instaurandum est, uterque coniux poenitentiam agere debent de perituro.
 - 6 Coniuges redditi ad prius coniugium posteriori dissoluto, si intra triennium copulari non possunt separandi sunt, & ad posterius coniugium reddendi.
 - 7 Sententia in coniugali causa non transit in rem iudicatam.
 - 8 Apponuntur aliqua notabilia pro prædictorum intelligentia.
- 1 SI coniux ob impotentiam ex frigidityte prouenientem à priori coniuge separatur, incapax est alterius coniugij. Quare si de facto aliud init statim separandus est, vt potè incapax iudicatus. Si verò secundum matrimonium consummauerit priori coniugi si viuit, restituendus est, quia iam constat falsò impotentiam allegasse. Et idem est, si quamlibet aliam foeminam fornicariè cognouisset. Quinimò esto prior vxor obierit cum secundas nuptias contrahit, ab illis separari debet omnino, quousque se potentem probet, & Ecclesiam fuisse deceptam, quia interim stat aduersus eum præsumptio. Vt ex communi sententia docent Sanch. lib. 7. disp. 99. à n. 4. Gutierrez de matr. cap. 115. n. 1. & seqq. Basilius Ponce, lib. 7. cap. 64.
- 2 Matrimonio autem dissoluto ob foeminae arctitudinem, si ipsa aliud inecat matrimonium, distinguendum est, si separatio fuerit, eo quòd comparatione cuiuslibet viri iudicata fuit ita arcta, vt absque periculo vitæ cognosci non possit separanda est, & priori coniugi reddenda. At si facta fuerit matrimonij dissolutio ob arctitudinem respectiuam, quia scilicet respectu prioris viri arcta fuit iudicata (vt regulariter contingit) non est statim à secundo viro separanda, & priori reddenda, tamen non leuis adit præsumptio nullitatis secundi coniugij, sed ante omnia examinandum est, an secundus vir prior sit omnino similis, vt inde inferatur à priori viro cognosci potuisse, iuxta Textum in cap. fraternitatis de frigidis, & maleficiis. Quippè potest mulier comparatione vnius esse ita arcta, vt absque periculo vitæ nequeat

cognosci, quæ ab alijs absque hoc periculo cognoscibilis sit, vt rectè tradit Sanch. d. disp. 99. à n. 15. Cui acceditur Gutierrez. d. cap. 115. num. 4. Basili. lib. 7. cap. 94. num. 3.

Verum si dissolutio matrimonij ob impotentiam ex maleficio prouenientem facta fuerit lapsò triennio experientia, aliisque probationibus à iure requisitis, nulla restauratio faciendæ est, tamen maleficiatus aliud matrimonium inecat, quia satis commune est aliquem esse maleficiatum comparatione vnius tantum, & non alterius, sicuti videtur expressè decisum in cap. fin. 33. quasi 1. & leg. regia finali tit. 8. part. 4. ibi: [Mas si el que fue fe maleficiado maguer lo de partiele la santa Iglesia de vna muger, si despues casale con otra bien puede fincar con la segunda; e no debe toma a la primera. E esto es porque podria ser maleficiado a la primera muger, e no a la segunda.] Et tradit ibi Gregor. Lopez, Sanch. plures referens lib. 7. cap. 63. num. 6.

Quod si ob impotentiam viri in genere absque expressione ne causa specialis prius matrimonium dissoluatur (quod Iudex præstare non debet) si vir impotens aliud inecat matrimonium statim separandus est, vt potè qui absolutè est impotens iudicatus, mulier verò si alteri nubat separari non debet, quousque prius inuestigetur causa impotentia, ob quam prius coniugium fuerit dissolutum, quod optimè cognoscitur, si Iudex qui prioris matrimonij dissolutionis sententiam protulit causam dissolutionis expresserit. At ea non expressa ex actis in priori processu, & ex causis quas testes, & matronæ reddiderit colligit Iudex dissolutionis causam. Quod si neque ex his cognosci possit, denuo Iudex inquirat causam impotentia. Interim tamen mulier à secundo coniuge separari non debet, quia stat pro ipso possessio, vt prædicitur discitur Sanch. lib. 7. disp. 99. à num. 27. quem sequitur Gutierrez. de matr. d. cap. 115. num. 9. Basilius Ponce lib. 7. cap. 64. num. 4.

In illis autem casibus, in quibus prius matrimonium instaurandum est, uterque coniux poenitentiam agere debent de perituro commisso, dum in separatione iuramentum impotentiam iuxta Textum in cap. laudabilem de Frigidis & maleficiis, ibi: & peractâ poenitentia cogantur, ad conubia priora redire, & idem habetur c. requisisti 33. q. 1. Sed vt inquit Turretremata ibi in fine, satis est poenitentiam incipiam esse, imò vt placet Sanch. d. disp. 99. num. 300. Gutierrez. cap. 115. num. 30. sufficit esse poenitentiam esse iniunctam, quia satis est poenitentia exequenda obligationem iubilisse, vt peracta moraliter cõsecratur. Neque enim credendum est Pontificem velle ob poenitentia executionem instauratum prius matrimonij differre cum animarum iactura.

Coniuges verò redditi ad prius coniugium posteriori dissoluto ob errorem deprehensum, si intra triennium copulari non possunt, omnino separandi sunt, & ad posterius coniugium reddendi; quia coniuicium impotentiam respectiuam vel ex frigidityte, vel ex maleficio habere vt pluribus relictis allecit Sanch. d. disp. 99. num. 34. At si tempore quo prius coniugium instaurandum esset alter coniux sit professus, cum per professionem prius matrimonium ratum dissoluatur, nulla est restitutio faciendæ. Coniux verò transiens ad secundum matrimonium separandus est, si ante professionem alterius transiit, quia nulliter contraxit: secus verò si professio facta transiit, vt ex Petro de Ledesma notauit Sanch. d. disp. 99. num. 38. ubi num. 39. inquit: Si ad sacros Ordines non ascendisset, vxore in saculo remanente restituendum vxori esset, si ipsa petat, quia sacris Ordinibus matrimonium ratum non dissoluitur, secus ipsa non petente.

Ex supradictis manifestum est sententiam in coniugali causa latam quantumcumque confirmata sit, vel elapsus fuerit terminus ad appellandum non transire in rem iudicatam, sed retractandam esse, quoties competum fuerit ex errore processisse, vt deciditur cap. lator. vers. mandamus Cap. conuincui. Cap. tenor. de sententia, & re iudic. Cap. fraternitatis de frigidis, & maleficiis. Et ibi communiter Doctores, quos refert, & sequitur Covarrua. 4. decret. 2. part. cap. 8. §. 12. num. 11. & sequentibus. Sanch. lib. 7. disp. 100. num. 1. & sequentibus. Quinimò Iudex ex officio etiam inuitâ parte teneat ad huiusmodi retractationem, quia sua iniret peccata auferre, & inconuenientia vitare, vt dicitur in cap. Porro de diuortio. At non leue est inconueniens matrimonium validum irritum declarare, & virtute huius declarationis coniuges se liberos reputare, cum tamen non liberi, sed alligati existant. Sic docuit Cardinal. in cap. lator. num. unico vers. in gloss. fin. de sententia, & re iudic. Sanch. d. disp. 100. num. 3. Gutierrez. c. 15. n. 14.

Pro huius illationis intelligentia plura aduertant Covarrua. Sanch. & Gutierrez. locis allegatis, quæ sunt maxime notanda. Primò sententia in causa matrimoniali non transit in rem iudicatam quoad hoc, vt per vim querelæ non possit contra eam allegari, non solum à coniuge condemnato, sed etiam à quocunque alio, quia omnibus competit peccata vitare. Sufficit auctoritatem rei iudicatæ ne per appellationem corrigi possit, né ve impugnetur, quin allegans contra ipsam sine impugnationis causam verosimilem proponat, quam Iudex